

tannis suis propriis locis Kalendaria, et cum multis tenent Reiffenst. *Theolog. Moral.*, tract. 6, dist. 1, q. 3, num. 6 et seq.

(17. Et quidem tenentur illas recitare proprio mane, nec possunt illas recitare vesperi pridie statim post Matutinam, et Laudes officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur a simili de officio defunctorum die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quod recitandum est de præcepto etiam extra chorum mane illius secundæ diei Novembris, nec potest anticipari pridie in Vesperis, ex decreto sacræ congregationis Rituum 1 Septemb. 1607. Merati, t. II, sect. 6, cap. 15, ubi cum multis hanc defendit sententiam. *Vid. verb. Officium defunctorum*; et *verb. Rogationes*, num. 7 (14).

* Nunc autem paritas deducta ex officio

LITTERÆ APOSTOLICÆ.

SUMMARIUM.

1. Litteras Apostolicas falsificantes, et illarum executionem impediētes, quomodo puniuntur: ad n. 2. — 5. Quando expediendæ, et quomodo publicandæ litteræ Apostolicæ super beneficiis resignatis: ad n. 4. — 5. Litteræ Apostolicæ non sunt executioni tradendæ ab iis quibus diriguntur, si obre-

(1. Litteras Apostolicas falsificantes, aut falso publicantes excommunicantur in bulla Cœnæ. Bened. XIV, t. I, const. 14, incip. *Pastoralis*, § 6. (2. Litterarum Apostolicarum executionem impediētes excommunicantur. *Idem ibid.*, § 14.

(3. Litteræ Apostolicæ super beneficiis resignatis expediendi debent post duos ad summum menses a data Rescripti, quo admissa fuit resignatio. *Idem t. II, constit. 10, incip. Ecclesiastica ministeria*. (4. Et publicari debent ad normam constitutionis Gregorii XIII, inter sex menses a data concessionis computandos, si beneficia citra montes posita sint; vel intra novem, si ultra. *Idem ibid.* De Litterarum hujusmodi expeditione do-

SUMMARIUM.

1. Litteras, vel scripturas alienas aperire et legere invito dominis, communiter est mortale. — 2. Litteras dilaceratas et abjectas probabilis non licet, partibus recollectis et junctis, legere. — 3. Et hoc maxime si talia frustra dilacerata litteræ projecta sint a domino in ignem et fornacem, vel in alium similem locum a quo difficilis sit extractio. — 4. Et a fortiori non possunt legi litteræ, quas aliquis casu, vel inconsideratione reliquit in loco etiam publico. — 5. Litteras alienas aperire, et legere quando quis probabiliter scit esse scriptas in suum injustum damnum et in suam injuriam, regulariter non est peccatum; hinc princeps potest aperire et legere litteras, non tantum hostium, sed

(14) *Nota Romani theologi.* — Episcopo præsentate concedit S. R. congr. posse recitari die prima Novembris ante horam Completorii officium Defunctorum in cathedralibus ecclesiis. Similiter et in aliis non cathedralibus, et episcopo absente, quando consuetudo esset in contrarium, dummodo pro commoditate et frequentia populi esset introducta; extra chorum vero licite absolvi posse post vespertinas horas statuit rursus S. R. C. 4 Se-

defunctorum, recitando die 2 Novembris amplius non currit, ex quo anticipari posse permittat S. R. congregatio, cujus decretum habes tomo V, *verb. Matutinum*, n. 15, et tomo VIII, inter *Decreta S. R. C.*, sub n. 1301.

(18. In litanis propriis, seu particularibus quibusdam regularibus ex indulto Apostolico concessis nihil præmitti debet de litanis universalis Ecclesiæ, et solum addi possunt nomina priorum sanctorum; nullimode autem nomina eorum, qui solo fruuntur titulo beatorum. Sic expresse cavetur in *Rubricis particularib. Breviarii Franciscani*, n. 19.

(19. In litanis sanctorum post nomen S. Joan. Bapt. statim adjungi debet illud S. Josephi: Benedictus XIII, 19 Dec. 1726, in *Decreto Urbis et orbis*.

ptionis, aut subreptionis vitio aperte laborent, aut si deficiat conditio, sine qua concessæ non fuissent. — 6. Litteræ Apostolicæ super dispensationibus matrimonialibus quomodo et quibus adjectis conditionibus concedi soleant. — 7. Alia ad rem *vide verb. Exsecutor litterarum Apostolicarum*, et *verb. Falsum, Falsarius*, n. 39 et seq.

cendum est in Officio subdatarii ad obtinendam prorogationem ad publicandum etiam pro prima vice. *Idem, ibid.*

(5. Litteræ Apostolicæ executioni tradendæ non sunt ab iis, quibus diriguntur, si obreptionis, aut subreptionis vitio aperte laborent, aut si deficiere comperiatur conditio, sine qua concessæ non fuissent. *Idem const. 31, incip. Magna nobis*. (6. Litteræ Apostolicæ super dispensationibus matrimonialibus quomodo, et quibus adjectis conditionibus concedi soleant. *Vide verb. Dispensatio*.

(7. Alia ad rem. *Vide v. Exsecutor litterarum Apostolicarum*, et *verb. Falsum, Falsarius*, a num. 39. * Et sub v. *Matrim.*, art. 7, Add. Casinenses *.

LITTERÆ.

etiam aliorum, quæ tempore belli veniunt ex locis finitimis hostium, aut ex aliis suspectis; et idem possunt facere ministri publicæ, quoties in bono publico necessarium esse judicant. — 6. Injuste aperiens litteras alterius, ex quibus cognoscit, ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum et hujusmodi, et postea prævenit, impedit, et sibi tali medio, aut negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, aut spei habitæ illud bonum consequendi. — 7. Item peccat contra justitiam, et tenetur sic ad restitutionem, qui dolose retinet litteras alienas, quas ex justitia, officio vel contractu tenetur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio ali-

ptembr. 1745, ita decernens: *Privata officii defunctorum commemoratio absolvi licite potest post vespertinas horas festi Omnium Sanctorum; in choro autem juxta rubricas adimplenda est mane die secunda Novembris: nisi, ut populi commodius et frequentius illis interesse possint, contraria jam faceret consuetudo.* Præsentate vero episcopo, etiam sine causa in hac sanctione expressa recitari potest, ut supra dictum est.

cujus boni. — 8. Regulares utriusque sexus dantes, aut recipientes litteras sine licentia superiorum regulariter non peccant contra votum paupertatis, nisi sint contra utilitatem monasterii, aut expendatur aliquid in illis dandis, aut recipiendis. — 9. Litteras a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores missas aperire, legere, impedire, aut retardare est peccatum grave, et ut casus reservabilis, solet esse casus reservatus in omnibus fere religionibus. — 10. Superiores regulares a licite aperire et legere possunt litteras suorum subditorum? — 11. Nullimode possunt superiores litteras subditorum missas ad superiorem majorem, aut ab ipso superiore majore ad tales subditos directas aperire

(1. Litteras, vel scripturas alienas aperire et legere furtive, et invito dominis communiter est mortale, nisi excuset levitas et parvitas materiæ. Baldell. lib. III, d. 11; Laymann, lib. II, tract. 3, par. I, cap. 4; Navarr., c. penult., d. 6; *Depæn.*; Busemb., lib. V, c. 3, dub. 2, n. 6; La Croix, *ibid.*; Tolletus, Molina et alii passim. (2. Litteras dilaceratas et abjectas probabilis non licet, partibus recollectis legere, quia hoc ipso, quod dominus dilaceraverit, maxime si parva frustra effectit, sufficienter significavit, se nolle ut legantur, et sic non ideo voluit cedere juri suo, aut dimittere secretum; adeoque talia parva frustra colligens, jungens et legens peccat, cum, invito domino, id faciat. Pestchacher, *De restit.*, q. 5, art. 4; La Croix, lib. III, par. II, n. 1236; Rebell. par. I, lib. IV, qu. 4, et alii plures. (3. Et hoc maxime, si talia frustra dilacerata litteræ projecta sint a domino in ignem, vel fornacem, et in alium similem locum, a quo difficilis sit extractio; quia tunc si quis extrahat et legat, facit gravem injuriam domino, qui talia frustra projiciendo in talia loca aperte indicavit se nolle ut legantur. Lugo disp. 13, n. 150; Busemb. *loc. c.*, resol. 6, et alii supracitati. (4. Et a fortiori non possunt legi litteræ, quas aliquis casu, vel in loco etiam publico ex inconsideratione reliquit. La Croix, *loc. cit.*, n. 12, 36; Busemb., *loc. cit.*, resol. 6, et alii passim.

(5. Litteras alienas aperire, et legere, quando quis probabiliter scit esse scriptas in suum injustum damnum, vel in suam injuriam, regulariter non est peccatum, si id simpliciter faciat ad avertendum suum damnum, vel injuriam, cum quilibet possit sibi omni meliori modo consulere: præceptum enim naturale de evitando damno injuste inferendo, præponitur præcepto de observando secreto. Hinc princeps potest aperire et legere litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli veniunt ex locis finitimis hostium, aut ex aliis suspectis. Sic etiam possunt facere ministri publici, quoties id bono publico necessarium esse judicant. Navarr. in *Manual.*, cap. 18, n. 53; Lugo, disp. 13, n. 148; Reginald., lib. XXV, cap. 6, n. 60; Escobar, Lezana, et alii passim.

(6. Injuste aperiens litteras alterius, ex quibus cognoscit ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum, et hujus-

et legere. — 12. Scribere ad superiores contra aliquem litteras sine nomine, seu cæcas, continentes notabilia delicta occulta, communiter ex genere suo est peccatum mortale. — 13. Non esset tamen peccatum, si id fieret ex charitate ad correctionem, et non ex odio ad vindictam. — 14. Non possunt autem superiores ex hujusmodi litteris procedere ad specialem inquisitionem illorum delictorum, quæ continent, etiamsi in ipsis litteris notificarentur testes, qui delictum testificari possent. — 15. Possunt tamen superiores ex hujusmodi litteris procedere ad generalem inquisitionem. Subnect. Add. ad n. 29.

modi, et postea prævenit, impedit, et sibi tali medio, et negotiatione acquirit, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi; quia talis injusta aperiitio et lectio litterarum fuit impeditiva ipsius boni et causa mali. Lugo, disp. 18, sect. 5, n. 104, et in *Resp. moral.*, lib. V, dub. 10; Lessius, lib. II, cap. 12, a n. 140; Sporer, t. II, tract. 4, *Prælimin. ad præcepta secundæ Tab. c. 2*, sect. 5, n. 205; La Croix, lib. III, par. 2, n. 76, et alii.

(7. Item peccant contra justitiam et tenentur sic ad restitutionem, qui dolose retinent litteras alienas, quas ex justitia, officio, vel contractu tenentur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio alicujus boni, talis enim dolosa litterarum detentio fuit graviter injuriosa et præjudicialis ei cui erant directæ. Sic doctores supracitati et alii passim.

(8. Regulares utriusque sexus dantes, aut recipientes litteras sine licentia superiorum, regulariter non peccant contra votum paupertatis, nisi sint contra utilitatem monasterii, aut expendatur aliquid in illis dandis, vel recipiendis, tunc enim sunt materia proprietatis. In aliis autem casibus solum erit peccatum contra obedientiam, si id fiat contra rationabile præceptum superioris. Navarr. lib. III, *Consil. de statu monachorum*, consil. 3, et comment. 2 *De regular.*; Peyrin., tom. I *De subdito*, q. 2, *De paupertate*, c. 2, § 10; Lezana *Summa questionum regularium*, c. 26, n. 49, et alii.

(9. Litteras a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores missas aperire, legere, impedire, aut retardare est peccatum grave, quia per hoc impeditur maxime bonum regimen religionis et fraterna charitas inter religiosos: unde inter casus reservabiles a superioribus regularibus Clemens VIII, in suo decreto edito 26 Maii 1593, designavit: « Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperiitio litterarum a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores, » et talis casus fere in omnibus religionibus solet reservari, et in nostra religione minorum de Observantia est reservatus sub n. 15, his verbis: « Generalis et provincialis, aut eorum secretariorum litteras tum missas, tum accipiendas, impediētes, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet impediētes. »

(10. Superiores regulares licite aperire et legere possunt litteras suorum subditorum, ubi id mandant seu permittunt propriae constitutiones, vel legitima consuetudine introductum est pro bono publico religionis; dummodo tamen eas non aperiant et legant ex mera curiositate, aut privata passione et malitia, quæ pacem et fraternam charitatem potius violaret. Unde in his debent superiores, depositis privatis passionibus, caute procedere, maxime cum similes constitutiones, et consuetudines jam fere in omnibus religionibus abierint in desuetudinem, et passim religiosi subditi scribant et accipiant litteras sine scientia et licentia superiorum. (11. Nullimode autem possunt superiores aperire et legere litteras subditorum missas ad superiorem majorem, seu ab ipso majore superiore ad tales subditos directas, propter dicta et adducta numero antecedenti. Diana, p. III, tract. 6, resol. 15; Peyrin., *De relig.* tom. I, q. 2, c. 1; Busemb., *loc. c.*, cap. 3, dub. 2, n. 6, resol. 3; Escobar et alii passim.

(12. Scribere ad superiores contra aliquem litteras sine nomine, seu, ut vulgariter dicitur, cæcas, continentes notabilia delicta occulta, communiter ex genere suo est peccatum mortale; quia est revelare notabilia occulta fratris, seu proximi, quod de se est mortale; maxime cum ordinarie hoc procedat ex odio, seu vindicta. Peyrin., tom. I *De subdito*, quæst. 2, *De paupertate*, c. 2, § 12; Lezana *Summa questionum regularium*, cap. 8, n. 31, et alii passim.

(13. Non esset tamen peccatum, si id fieret ex charitate, et non ex odio, aut vindicta, ultionem et punitionem non querendo, sed solum correctionem et emendationem, et ideo solum celetur nomen scribentis, ne si forte perveniat ad notitiam illius, contra quem scribitur, reddatur illi inimicus, et aliquod malum injuste pati cogatur. Peyrin. et Lezana *loc. c.*, et alii communiter.

(14. Non possunt autem superiores ex hujusmodi litteris procedere ad specialem inquisitionem illorum delictorum, quæ continent, etiamsi in ipsis litteris notificarentur testes, qui delictum testificari possent; quia hujusmodi litteræ nullam inducunt infamiam, textu expresso in c. *Inquisitionis* 21, *De accusationibus*, § *Tertie dubitationis*; Rodrig., tom. II qq. *Regular.*, q. 6, art. 10; Lezana, *loc. c.*, cap. 8, n. 31, et c. 17, n. 3; Lessius, lib. II *De justit. et jur.*, c. 20, dubit. 15, n. 136; Thomas a Jesu, *De visitat. regul.*, tract. 2, c. 3, n. 9, et communis aliorum.

(15. Possunt tamen superiores ex hujusmodi litteris sine nomine scribentium procedere ad generalem inquisitionem, quia ad generalem inquisitionem non requiritur

LITURGIA.

NOVISSIMÆ ADJECTIONES.

SUMMARIUM.

1. Generalis hujus nominis significatio, ad n. 2. — 3. Peculiariter tamen cultum Deo tributum designat, ejusque partes universæ complectitur. — 4. Præcipue vero incrementum Christianæ Ecclesiæ

infamia. Alderete *De disciplina regular.*, lib. I, cap. 7, n. 31; Lezana, *loc. cit.*, 47, n. 4, et alii communiter.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. De aperitione litterarum alienarum agit auctor, sed *in foro*, ut aiunt, *poli*: Agendum paucis de ea *in foro*, ut pariter aiunt, *fori*.

(17. Aperitio alienarum litterarum communiter refertur ad crimen falsi ob l. I, § 5, et l. XVI, § ff. *De leg. Cornel. De fals.* Quod tamen putant nonnulli procedere concurrentibus hisce tribus. I. (18. Si aperiens alienas litteras sciat esse alienas. II. Si id faciat sine justa causa. III. (19. Si id faciat, animo promulgandi secreta et nocendi alteri. Quæ si desint, reus falsi dici nequit aperiens alienas litteras.

(20. Atque hinc est, quod si quis putet litteras alienas ad se scriptas, forte quod idem nomen sit sibi ac illi, ad quem litteræ erant datæ, falsi crimen aperiendo haud committit, cum justa penes ipsum sit ignorantia; Menoch., *De arbitr.*, lib. II, c. 538, n. 7; Genua, *De scriptur. privat.*, lib. III, q. 2, n. 4. (21. Dummodo silentio involvat contenta, et in alterius præjudicium eadem non propalet. (22. Quod si propalaverit, extra penam haud erit. (23. Licet namque nullus adfuerit dolus in aperitione litterarum, adfuit tamen in propalatione; Stryk., *Juridic. dissert.*, disput. 8, c. 4, n. 39.

(24. Pariter falsi crimen ne admittit ille, qui litteras alterius aperit, sed solius curiositatis gratia, ut scilicet sciat quid in iisdem contineatur. (25. In crimine enim falsi necesse est, ut quid fiat in fraudem, vel damnum alterius. Id autem non intendit aperiens litteras solius curiositatis gratia. Reus igitur falsi haud est. (26. Reus tamen stellionatus est et propterea extra ordinem puniri potest; Hœping., *De jur. sigill.*, cap. 14, n. 54; Tabor, *De intercept. crimin.*, par. IX, n. 6.

(27. Num litteræ aperiri impune possint, si quis damnum quoddam iisdem sibi, vel proximo injuste parari timeat? Vide apud Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. III, disputat. 13, cap. 5, n. 14.

(28. Nota quod ubi concurrunt tria illa, de quibus supra mentionem fecimus, tanquam falsarius puniri poterit, qui alterius aperit, legitque litteras, sive illæ sint clausæ, sive apertæ; sive publicæ, sive privatæ, sive integræ, sive dilaceratæ; Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. III, disp. 13, c. 5, n. 36.

(29. Plura de aperitione alienarum, si scire cupias, adi Wurms. *Practic. For.*, lib. I, t. 47, observ. 25; Hœping., *De jur. sigill.*, cap. 14; Viv., l. I, dec. 62.

sacrificium, ejusque ritus et ministerium significat. — 5. Primis ipsis Ecclesiæ sæculis scriptæ sunt Liturgiæ. — 6. Quid de quibusdam apostolorum liturgiis sentiendum sit. — 7. — 8. Alii liturgici libri, eorumque in rebus theologicis usus.

(1. Liturgiæ Græcum nomen est, quod universali comprehensione publicum ministerium, vel publici ministerii opus significat. Interdum tamen sumitur aliquanto latius pro quovis officio, famulatu ac ministerio, etiam inter privatos. Sic Apostolus *II Cor.*, IX, 12, *elemosynas* vocat diaconiam liturgiæ, nempe *ministerium publici officii*.

(2. Omnium tamen percelebris ea est hujus nominis acceptio, qua cultus Deo tributus designatur, is præsertim, qui non ex privata cujusque sententia, sed ex communi ratione legitime institutus usurpatur. Hinc factum, ut cum in Veteri Testamento sacri apud Hebræos ministerii mentio occurrat, LXX interpretes illud seu nomen, seu verbum plerumque reddiderint per suum nomen *Liturgiæ*, aut verbum *Liturgæo*.

(3. Igitur sic accepta liturgia omnes divini cultus partes univarse complectitur. Hoc autem sensu passim in Scripturis et apud ecclesiasticos auctores liturgiæ nomen usurpatur, ut ad *Hebr.* X, 11, et in Sardicenis concilii canone 12; quem locum explicans Zonaras, « Liturgiæ, inquit, nomine hic... stas preces et hymnos, qui solemnitate Deo concinuntur, intelligi oportet. »

(4. Est tamen peculiaris quædam liturgiæ acceptio, eaque apud Græcos usitatissima, qua significatur incrementum Christianæ Ecclesiæ, verumque ac proprii nominis sacrificium; ritus item omnes et cæremoniæ designantur ad illud litandum diversimode pro locorum et gentium diversitate usurpatæ, quo usu penes Latinos potissimum occurrit *Missæ* nomen, de quo infra suo loco.

(5. Quo primum tempore liturgiæ ad sacrificium peragendum scripto consignari cœperint, nondum eliquata res est. Nam P. Le Brun et Joannes Pinus Bollandianus quinto primum sæculo liturgiæ fuisse scriptas contenderunt. Plerique tamen hanc opinionem veluti paradoxam rejiciunt, ut Meratius in *Gavantum*, t. I, Sala in notis ad eminentiss. Bonæ *Res liturgicæ*, t. I, p. 123, seq.; Muratorius, *Dissert. de liturg. Rom.*, c. 1; Assemanus *Cod. liturg.*, lib. IV, p. 1, p. 137 seqq.; Zaccaria, *Bibl. Ritual.*, t. I, diss. 11, cap. 7, n. 1, et editor Venetus S. Gregorii M. in *Isagoge liturgica*, cap. 12. Difficillimum certe in Brunii Pinique sententia videri debet, non exiguam orationum, consecrationum, benedictionum antiphona-

LITURGICUM JUS.

NOVISSIMÆ ADJECTIONES.

SUMMARIUM.

1. Quid jus liturgicum sit? — 2. Hoc exercuerunt Apostoli, præstituto primum liturgiæ ordine. — 3. — 4. Ritibus quoque et certis precum formulis præscriptis. — 5. Regulas ad Apostolicas

(1. Jus liturgicum jus est ad rationem, qua cultus publicus sit Deo, sanctisque præstandus, constituendam.

(2. Atque hoc quidem apostoli exercuerunt. Nam 1 ordinem aliquem missæ præscriperunt, præsertim vero sancti Joannes, Jaco-

rum farraginem, quæ tamen sequentibus sæculis multum accrevit, memoriæ ab omnibus episcopis presbyterisque fuisse mandatam, et veluti ex tempore quatuor sæculis recitatam.

(6. Neque tamen crediderim liturgias, quæ sub S. Petri, Jacobi, Marci, aliorumque apostolorum nomine circumferuntur, eosdem in omnibus auctores habuisse, quorum nominibus prænotantur. Vere idem Venetus Gregorianorum Operum editor, seu Joannes Baptista Gallicciolius cit. *Isagog.* cap. 5, n. 2, monuit, apostolos, v. gr. Petrum, Jacobum, vel Marcum, quibus addendus Clemens, primos fuisse, qui liturgiarum fundamenta jecerint, eisque Ecclesiis quas quisque ordinavit reliquerint. Quorum instituta retinentes Ecclesiæ illæ, ut Antiochena, Hierosolymitana, Alexandrina, Romana, etsi plura subinde adjecta fuerint, venerationis tamen ergo, priorum institutorum nomina custodierunt. Quæ autem nobis supersunt vetustissima istarum liturgiarum monumenta, merito quidem hujus, vel alterius apostoli nomen præseferunt; esse vero purum illius apostoli fœtum, somniantis hominis fuerit pertinacius affirmare. Confer Zaccariæ *Bibliothecam ritualem*, t. I, lib. I, cap. 3, artic. 2, § 1.

(7. Præter hasce liturgias plures habent Græci liturgicos libros. Caveus eos percensuit; tum copiosius idem Zaccaria, tom. I, ejusdem *Bibl. Ritual.*, pag. 17. Idem deinde pag. 19. Orientalium quoque libros liturgicos enumeravit. De libris liturgicis Latinorum egit peculiari dissertatione Cl. Dominicus Georgius, tum Zaccaria, cap. 1, pag. 29 ad 76. Quem vero nuper appellavi, Joannes Baptista Gallicciolius *Isagog.*, cap. 12, pag. 257, syllabum librorum liturgicorum cum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ ordine alphabetico exhibuit.

Horum liturgicorum librorum magnus esse potest in rebus theologicis usus, si canones quidam serventur pro delectu eorum librorum, unde theologus petere argumenta jure possit, itemque ad germanum, verumque eorumdem librorum sensum assequendum. Ejusmodi canones, aliaque ad insignem hunc theologiæ fontem pertinentia dabit idem Zaccaria *dissert.* 11 *De usu librorum liturgicorum in rebus theologicis*, quæ exstat t. I *Bibl. Rit.*, pag. 55. et seqq.

hasce constitutiones dignoscendas. — 6. Transit jus liturgicum ab apostolis ad eorum successores episcopos, qui in conciliis maxime illo sunt usi. — 7. Præcipue vero spectavit illud semper ad Romanos pontifices. — 8. Nihilne in re liturgica possit principum auctoritas?

bus ac Petrus. Ac de Petro quidem S. Isidorus Hispanensis lib. I *De eccles. officiis*, cap. 15, id diserte asserit: « Ordo, inquit, missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro est institutus. » Idem de S. Joanne

tradit Antoninus, fortasse monachus Lexoviensis sæculi VII, ab Henrico Spelmanno editus tom. I *Concil. Magn. Brit.*, p. 177, quem Mabillonius quoque magnificabat. Sed antiquiorem demus hujus rei testem de omnibus apostolis, deque Jacobo Hierosolymorum episcopo, Epiphanium, inquam, hæc. 79. Namque enumeratis apostolis addit: « Hi omnes electi sunt apostoli per orbem, sacram Evangelii functionem administrantes, una cum Paulo et Barnaba ac reliquis, et mysteriorum ordinatores fuere cum Jacobo fratre Domini: » et primo Hierosolymorum episcopo, quem a Jacobo Alphæi aperte distinguit. Ad S. Paulum quod attinet, ipse quid in sacris conventibus agendum esset, I *Cor.* XI, 4, seqq. et I *Cor.* XIV, 26, docet. Singularis porro de precibus, quæ in sacrificio missæ fundebantur, locus exstat I *Tim.* XI, 1 et seq., ubi sanctus Apostolus ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate;* quæ ad sacrificium referri tradunt S. Augustinus, Ep. 59 ad Victorinum, quæst. 5, et celeberrimus, quisquis demum is fuerit, auctor operis *De vocatione gentium*, lib. I, cap. 4.

(3. Quosdam præterea liturgiæ ritus ab apostolis accepimus. Ejusmodi sunt 1° Invocatio Spiritus sancti, de qua S. Basilius in libro *De Spiritu sancto* cap. 27; 2° Aquæ mixtio cum vino, quam S. Cyprianus in *Epistola ad Cecilium* memorat; 3° Orationis Dominicæ recitatio; 4° Hostiæ fractio. Vide Bonam, lib. II *Rer. liturg.*, cap. 15.

(4. Formularum quoque nonnullarum vestigia in veteribus Patribus supersunt, quæ non nisi ab apostolis edi potuere, ut formula: *Per omnia sæcula sæculorum*, cui populus respondebat: *Amen*; cujus quidem formulæ indicia suppeditant S. Irenæus lib. I *Adv. hæc.*, cap. 1, et Tertullianus in libro *De spectaculis*, cap. 25. Sic etiam præfatio: *Sursum corda*, cui respondet *Plebs*, ut in *Lib. de oratione Dominica* scribebat Cyprianus, *Habemus ad Dominum*.

(5. Ut autem hæc omnia, aliaque colligamus, regulam ponamus, qua quæ in liturgia ab Apostolica præceptione manarunt, certissime dignoscamus. Sit autem ea, quam emin. Bona lib. I, cap. 6, § 1, indicat. « Sunt quedam in omnibus Liturgiis, in quibus omnes Ecclesiæ conveniunt, utpote sine quibus sacrificii ratio nullo modo subsisteret; cujusmodi sunt panis et vini præparatio, oblatio, consecratio, consummatio et ipsius sacramenti communicare volentibus distributio. Aliæ item præcipuæ partes sunt, quæ licet ad sacrificii integritatem non spectent, in omnibus tamen omnium gentium liturgiis reperiuntur, psalmorum scilicet modulatio, lectio sacræ Scripturæ, ministrorum apparatus, thurificatio, catechumenorum et aliorum profanorum exclusio, fractio hostiæ, precatio

pacis, preces diversæ, gratiarum actio et si quæ aliæ sunt ejusdem generis. » Statue jam cum Ernesto Grabe, licet heterodoxo, ad S. Irenæi l. I, c. 3 illos qui omnibus liturgiis (iis præsertim, quas Apostolicas vulgo vocant) exprimuntur ritus, ex Apostolica traditione fluxisse.

(6. Ab Apostolis transit jus liturgicum ad eorum successores episcopos, unde liturgiæ Gregorii Nazianzeni, Basili, Chrysostomi; imo Syri Jacobitæ plurimis utuntur liturgiis, quas eorum episcopi ad sæculum XIV proceuderunt. In conciliis tamen potissimum jure hoc liturgico usi sunt prioribus Ecclesiæ sæculis episcopi: quo spectant canones quos *Apostolorum* dicunt, tertius, quartus, quintus, octavus, nonus, decimus, quadragessimus nonus et quinquagesimus; item plures conciliorum canones, ut Eliberitani, Antiocheni, etc. In Græca tamen Ecclesia patriarcha Constantinopolitanus omne fere jus liturgicum sibi vindicavit, ut ex Theodoro Balsamone constat ad *canonem Trullarum* XXXII. Etiam apud Syros Maronitas post sæculum VIII, summam rei liturgicæ solis patriarchis servatam affirmat Assemannus in *Diss. de orig. liturg.*, p. 134.

(7. Itaque eo minus mirabimur, Romanos Pontifices vel ut occidentis patriarchas, vel etiam ut universæ Ecclesiæ primates jus liturgicum a primis Ecclesiæ temporibus ad nostrum sæculum exercuisse. Exempla suppeditant Siricii ep. 1 ad *Himer.*, et ep. 10 ad *Gallos*, Innocentii I, ep. 6., et 25 ad *Deventium*, Coelestini I, ep. 4 ad *episcopos provincie Viennensis et Narbonensis*, S. Leonis Magni, Gelasii, Gregorii M. Sacramentaria. Eodem jure usi sunt, seu cum Ecclesiis saltem occidentales ad Romanæ Ecclesiæ ritus adducere Innocentii I exemplo studuerunt (hincque abolitæ sunt liturgiæ celeberrimæ Gallicana, Mozarabica, et tandem ipsa Aquileiensis); seu, cum ad S. Gregorii M. in epistola ad Augustinum sententiam, ritus a Romanis diversos in aliis Ecclesiis prudenti œconomia aut tolerarunt, aut permiserunt; ut Ambrosianos, aditente præsertim S. Carolo Borromæo, aliosque, quos S. Pius V in nova Missalis et Breviarii editione exceptos voluit in constitutionibus a se datis, pro Breviario quidem an. 1568, septimo Idus Julii, pro Missali vero an. 1570, pridie Idus Julii.

(8. Quæres, nihilne principis in re liturgica possit auctoritas? Certe apud Baluzium, t. I *Capitular. regum Franc.*, exstat Caroli M. constitutio « de emendatione librorum et officiorum ecclesiasticorum. » Sed duo distingui hic velim, ipsos scilicet liturgicos ritus, libros, ministros, et si quæ id genus sunt alia; tum aliqua, quæ ita ad cultum publicum pertinent, ut adiaphora sint. Ad ritus illos quod pertinet, unum habet princeps, quod in reliquos Ecclesiæ canones, externamque disciplinam universam sacris sanctionibus constitutam et usu receptam jus tuitionis, curandæque executionis, ubi id Ecclesia ipsa expetierit. Neque vero Carolus M. hujusce juris fines

prætergressus videri jure possit. Nam quæ egregius ille imperator sive illa, quam indicavi, constitutione præcepit, sive ad Romanam liturgiæ Gallicanæ substituendam egit, non solus, sed de consilio episcoporum statuit, ut Hadriani I desiderio satisfaceret. Ad cætera, quæ adiaphora diximus, quod spectat, quoniam de rebus agitur ad ipsum Dei, sanctorumque cultum pertinentibus, quæ licet aut pacato, aut opulentiorei republicæ statui obesse videantur, fortasse tamen vera non obsunt; obesse contra plurimum religionibus publicis et divino honori possent, si publicæ quietis obtentu abrogarentur; mallem ex veteri more hæc ipsa a principibus episcoporum judicio relinqui; neque enim dubitandum, quin Ecclesiæ antistites, si quid in sacrum cultum

LIVELLUM

Vid. verb. MONIALIS, art. 2.

LOCATIO.

SUMMARIUM.

1. Locatio quid sit et quænam locentur et conducantur: ad n. 2. — 3. In quo differat locatio a commodato et a precario ad n. 4. — 5. Locator, conductor, inquilinus, colonus, redemptor et publicanus qui dicantur, et an conductor rem sibi locatam alteri locare possit: ad n. 6. — 7. Bona ecclesiastica quando, quomodo, pro quanto tempore et a quo locari possint: ad n. 9. — 10. Minores et pupilli, sive uxores ad quid teneantur quoad locationes per tutores et curatores, sive per maritos factas: ad n. 11. — 12. An et quando teneantur stare locationibus, seu conductionibus factis heredibus universales, emptores, legatarii, donatarii, successores in majoratu, fideicommissarii, filii successores in legitima ad n. 19. — 20. Ad quid teneatur locator erga conductorem: ad n. 30. — 31. Quot et quibus causis possit locator ante finitum tempus locationis conductorem e re conducta invitum expellere: ad n. 36. — 37. Quot sint et qui casus præcipui, in quibus locator teneatur, vel non remittere, vel minuere pensionem: ad n. 47. — 48. Quid sibi invicem debeant locatores et conductores operarum: ad n. 60. — 61. Ad quid

(1. Locatio est contractus, « quo quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit, certo pretio, sive mercede constituta. » Est in re communis. (2. Dicitur « quo quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit » ad denotandum, quod locantur, et conducuntur non tantum res, quæ ad solum usum deserviunt, ut domus ad inhabitandum, equus ad equitandum, bos ad arandum, et hujusmodi: l. IX *Princ.*, ff. *De locato et conducto*; sed etiam res, quæ deserviunt ad fructus percipiendos, ut ager, vinea, pascua, jura et redditus; l. *Sed addes* 19, § 1, ff. *De locato et conducto*; insuper non solum locantur, aut conducuntur ipsæ res, sed etiam personæ, seu potius operæ et labores personarum, ut patet in famulis et ancillis, operariis, officialibus, artificibus et hujusmodi, qui se, seu operas suas aliis locant et ab aliis conducuntur; l. *Item*, 51, 22, § 2, ff. *De locato et conducto*, ibi: « Locat enim artifex operam suam. »

irrepperit, unde respublica detrimentum capere possit, de emendatione sint solliciti futuri. Imo vero non expectabunt ipsi, ut ea super re in consultationem vocentur, sed ad illud, quodcumque est, amoliendum curas omnes primi, collato inter se se studio, convertent; tum si irritos suos esse conatus perspexerint, principis auxilium implorabunt, ut ab Africanis Patribus factum novimus, ad abolendas in sacris ædibus agapas, quæ a primæva charitate, dignaque christianis moribus lætitia degeneraverant. Sed de his omnibus, quæ in novo hoc articulo dicta a nobis sunt, consuli velim Francisci Antonii Zaccaria dissertationem primam *De jure liturgico* præmissam tom. I *Biblioth. Ritual.* 2.

teneatur conductor, qui sit in culpabili mora solvendi pretium tempore in contractu præfixo: ad n. 62. — 63. An possit unquam conductor ante tempus conductionis finitum rem conductam deserere: ad n. 64. — 65. Ad quid teneatur conductor transacto locationis tempore: ad n. 66. — 67. An et quando conductor uti possit re conducta ad alium usum, ad quem non fuerit concessa: ad n. 69. — 70. An, et quando conductor teneatur ad resarciendum damnum, sive propria, sive famulorum culpa contingat: ad n. 71. — 72. An et quando conductor mercedem solvere teneatur, etiamsi re conducta uti nequeat: ad n. 74. — 75. Conductor an teneatur augere mercedem, si tempore ubertatis ac fertilitatis majores solito fructus percipiat ex re frugifera conducta: ad n. 77. — 78. Quæ sit conductoris obligatio quoad casus fortuitos: ad n. 80. — 81. Quid juris habeat locator in fructibus rei locatæ pro sibi debita pensione: ad n. 82. — 83. Quænam jura et actiones locatori competant ex *locato*, et e contra conductori ex *conducto*: ac utrum hæc jura et actiones transeant ad eorum hæredes: ad n. 84. — 85. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 94.

(3. Dicitur « certo pretio, sive mercede constituta, » quia pretium, seu merces in locatione necessario intervenire debet; l. *Si convenerit* 23, in fine, ff. *Communi dividendo*. (4. Et in hoc differat locatio a commodato et precario, vi quorum res ad usum gratis conceduntur, ut patet sub verb. *Commodatum*, et verb. *Precarium*.

(5. Ex contractu locationis contrahentes varia sortiuntur nomina. Qui enim pro usu, vel fructu rei, aut pro opera sua pretium, seu mercedem recipit, dicitur *locator*; qui pro usu, vel fructu rei, aut opera personæ pretium, vel mercedem dat, dicitur *conductor*. Sic passim in totis titul. ff. et cod. *De locato et conducto*; qui prædium urbanum, vel domum conducit, dicitur inquilinus; l. *Sed addes* 19, § 4 et 5, ff. *De locato et conducto*; qui conducit agrum, vel prædium rusticum, dicitur *colonus*; l. *Res pignoris* 37, ff. *De acquirenda possess.* Qui conducit operam personæ, dicitur *redemptor*, l. *Cum in*